



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XVIII. De interpretatione ultimæ voluntatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus XVIII.

De Interpretatione ultima voluntatis.

Titius ante mortem testamentò conditò inseruit legatum primò pro missis celebrandis, nihil exprimens de illarum applicatione. Secundò legavit pauperi cuidam decem aureos, qui tamen, cum hæres legatum vellet tradere, comperitur jam esse mortuus. Tertiò legavit amico suo Cajo 100. aureos, cui totidem debebat in conscientia: hoc autem debitum scit quidem ipse hæres, Cajo tamen Creditor ignorat. Occasione hujus

Quær. 1. Utrùm legatum præsumatur ad solum Dei cultum, vel etiam ad applicandum pro anima defuncti fuisse relictum?

Quær. 2. Utrùm hæres dictum legatum teneatur alteri pauperi erogare?

Quær. 3. Utrùm hæres ultra

legatum teneatur Cajo solvere debitum?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur I. Quæsit.

Utrùm legatum præsumatur relictum ad solum Dei cultum; Vel etiam ad applicandum pro anima defuncti?

1. Fundator missarum diversos fines potest habere?
2. Juxta Tamburini applicationem missæ non intendit, qui fundavit missam tempore magni affluxûs, aut monialibus legendam.
3. Cùm in tali dubio melior sit conditio possidentis.
4. In tali autem casu fundatio pro

pto anima Fundatoris facta
præsumenda.

§. III.

§. II.

Resolvitur II. Quæsit.

Utrum hæres teneatur legatum alteri cuidam pauperi erogare?

5. Decisio etiam hujus quæsit ab intentione legantis dependet.
6. Dictum legatum non erit alteri pauperi erogandum, si illud legans reliquit in solius illius bonum, non autem alterius cujusdam pauperis.
7. Si tamen hæres in culpabili mora solvendi fuerit, legatum hæredibus defuncti erit tradendum.
8. Ex voto tamen relicta hæredibus defuncti non sunt persolvenda.
9. In pauperes tamen alios erit distribuendum, si hoc legatum in bonum suæ animæ fecerit, pauperem illum demonstrativè duntaxat & non taxativè nominans, quod v. g. sibi erat notus.

Resolvitur III. Quæsit.

Utrum hæres præter legatum teneatur legatario solvere suum debitum.

10. Debitum aliud est voluntarium, aliud legitimum, quæ vel in solo conscientiæ, vel etiam in foro externo dantur
11. Subinde lex inducit legem ad solum aliquid dandum.
12. Legatum atque debitum sunt vel ejusdem, vel diversæ rationis ac speciei.
13. Legans potuit sui legati causam expressisse vel non.
14. Legans usus fuit vel istis verbis: *Lego Titio 100. ex meis bonis, vel absolutè.*
15. Si testator causam sui legati diversam à solutione debiti expressit, debitum etiam erit solvendum.
16. Idem faciendum, si dicat testator: *de bonis meis solvatur legatum.*
17. Vel si legatum & debitum sint diversæ rationis,

18. Non est præsumendum ad expunctionem debiti voluntarii legatum fuisse factum, si mens legantis non constet.
19. Quod tamen præsumendum, si in solo foro interno tale quid debeatur.
20. Aut debitum legale ac necessarium sit.
21. Hinc hæres debitum voluntarium in solo conscientiæ foro existens ultra legatum non tenetur solvere.
22. Neque ordinatione legis proveniens, si nullam causam sui legati testator expresserit.

§. I.

Resolvitur I. Quæsitum.

Utrum legatum præsumatur relictum ad solum Dei cultum, an verò ad applicandum pro anima legantis?

I Legatum relinquens pro missis celebrandis potest habere diversos fines, atque intentiones, inter quas præcipuus & communiter intentus cense-

tur esse ipsius Sacrificii fructus, Fundatori, aut alteri cuidam applicandus.

Secundò potuit specialiter non intendere fructum Sacrificii, sed ipsius duntaxat loci venerationem, temporis, aut commodæ occasionis, ut reliqui Sacrum tali die aut horâ audire possit. Itaque si constet, missam esse ex fundatione celebrandam tempore, quo nullus populus ad Ecclesiam accedit, putant nonnulli cum Tamburino in *Methodo celebrandi lib. 3. c. 1. §. 3. à n. 20.* præsumi tunc posse, intentionem Fundatoris principalem fuisse, solam celebrationem, non autem applicationem missæ Fundatori faciendam. Idem iudicium fiet de casu, quo Sacerdos ad legendam sibi missam à Monialibus conducitur, eò quòd istæ Sacrificium hoc tantummodo expectant, ut præcepto Ecclesiastico audientiam missæ die festo imperanti, satisfaciant.

Marchinus de sacris Ordinibus *traçt. 3. c. 27. n. 7.* defendit, esse in libertate Sacerdotis applicare missam, pro quo voluerit, eò quòd suæ obligationi satisfaciat, nec non Testatoris volun-

lantati, si celebret in eodem loco & tempore, quem Testator designaverat, si non expressa fuerit intentio volentis sibi, vel alii determinato Sacrificium fructum applicari; rationem hujus sui asserti desumit ex communi axiomate, & decantata Juris regula in dubio *melior est conditio possidentis*: scilicet ait iste: libertas Legatarii in dubio oneris semper est in possessione; atqui onus determinatæ intentionis est in tali casu adhuc dubium: ergo Legatarius est ab hoc onere liber, consequenter alicui alii fructum applicare poterit: his tamen non obstantibus.

4 Dico in tali dubio præsumendum esse Fundatoris intentionem fuisse, ut fructus Sacrificii applicaretur pro anima legantis, minimè autem judicandum, hoc legatum ad solum Dei cultum relictum fuisse. Tradunt Sanchez in *summa. lib. 4. cap. 1. n. 13.* Menochius de *presumptione. lib. 1. q. 18. n. 1.* referens Socinum, & Parisium. Idem docent Possevinus *cap. 2. n. 25. q. 1.* Silvester *verbo missa 1. n. 7.* Naldus *verbo Missa. n. 13.* Bonacina de *Sacrif. Missa. pu. 7. S. 2. num. 13.*

Cataluni, p. 3. de *Sacrif. Missa. q. 5. cap. 4. n. 16.* Pasqualigo *q. 908.* Gobat *n. 494.* de la Croyx *lib. 4. n. 833.* de *Benef. Eccles.* Item Barbosa de *officio Parochi 1. 11. n. 11.* citans Alphonsum de Leone, Fraxinellum, & Homobonum; consentit etiam Pater Franciscus Bardi in *disps. 6. de præfixa humanorum actuum regula cap. 10. num. 3.* volentes in dubio legatum non præsumi datum, vel relictum pro solo cultu Ecclesiæ, sed pro applicatione Sacrificii, nisi oppositum ex verbis Testatoris, vel aliunde clarè constet.

Probatur etiam ratione. Si non expressè constet, Fundatorem voluisse non sibi, sed aliis applicari fructum Sacrificii, tunc istud de ipsius voluntate non est præsumendum: ergo. Probatur antec. ex consuetis, & communiter accidentibus valida habetur præsumptio, sed ex consuetis & communiter accidentibus habetur, quòd Fundator sibi velit applicari fructum, ergo ex his debet fieri præsumptio. Probatur 2. ex regula 45. Juris in 6. ibi: *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, & quod plerumque fieri consuevit*: Atqui verosimilius est,

est, & plerumque consuevit, ut quis in disponendis legatis piis intendat id, quod magis propriæ salutis prodest: ergo præsumendum est, testatorem voluisse legatum suum ad hoc ordinasse, ut missæ specialiter pro salute animæ suæ celebrentur, etiamsi explicitè hanc suam intentionem non expresserit.

Confirm. ex eo, quod advertit Navarrus in praxi miserabilium personarum *privileg. 20. n. 6.* quod in dubio legatum censetur factum pro causa favorabili ipsi Testatori leganti: atqui favorabile est Testatori, Legatarium esse adstrictum ad hoc, ut Sacra legantur pro ipsius anima: ergo rectè præsumitur Testator hoc onus, quod præsertim in fine vitæ imponi solet, Legatario imposuisse.

Quòd autem hæc nostra conclusio se etiam extendat ad casum, quo intentio Legatoris fuerat, celebratio Missæ tempore, quo populus multus ad Ecclesiam accedit, vel Sacerdos à Monialibus ad legendam sibi Missam advocatur, probamus ex P. Gobat in *exper. Tom. 3. n. 546.* ubi refert Decretum S. Congre-

gationis approbatum, ab Urbano VIII. expressè dicente, quòd illi Sacerdotes, qui nulla alia obligatione in Confraternitatibus vel Monasteriis Monialium celebrant, quam pro ornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres, aut Moniales satisfaciant præcepto Missæ, non possint ultra stipendium, quod à Confraternitate, aut Monialibus recipiunt, aliud à quopiam alio accipere.

§. II.

Resolvitur II. Quæsitum.

Utrum hæres teneatur Legatum alteri pauperi erogare?

DEcisio hujus Quæsitum dependet pariter ab intentione ipsius defuncti Testatoris; potuit enim iste hanc eleemosynam reliquisse tanquam quoddam opus pium, atque in animæ suæ bonum; illum autem pauperem Paulum potius elegisse præ cæteris, eò quòd sibi esset notus, appareret pius, reliquis indigentior; aut hanc eleemosynam in bonum illius Pauli pauperis duntaxat reliquit, hujus solius, non au-

autem alterius cuiusdam inopiam volens sublevare; hîs præmissis ad dubium propositum.

6 Dico supposita intentione prima per Testatorem denominato, defuncto paupere legatum deberi alteri pauperi; in secundo autem supposito, nulli alteri legatum tale deberi. Ità sentiunt Bartolus *Lege Pater §. Tusculanus. n. 2. ff. de leg. 3.* Abbas *cap. Nos quidem. n. 14. de testam.* Ananias *ibi: n. 15.* Mantica *de conject. ultim. volunt. lib. 3. cap. 5. fine.* Medina *de restit. q. 24. versu inde etiam est.* Molina *tom. 1. de just. disp. 279. col. penult.*

Probatur legans talem pecuniam tacitè subintellexit pro conditione existentiam Legatarii post obitum vel distributionem Legati: ergo si Legatarius antea fuerit mortuus, nihil eidem debetur, & legatum evasit caducum. Secundò, Testator soli denominato pauperi hoc legato subvenire intendit: cùm ergo mortuo nequeat subvenire, cessabit finis substantialis, quo cessante etiam cessat obligatio. Confirmatur à pari, si Testator legasset Titia 200. aureos tanquam dotem, ut in mo-

nasterium recipiatur, Titia autem, cùm executor testamenti volebat legatum eidem extradere, jam nupsisset, legatum fieret caducum: ergo etiam in priore casu.

7 Quæ hætenus dicta fuerunt, procedunt, si executor legati in nulla culpabili suæ executionis mora extiterit; hoc enim interveniente legatum istud hæredibus defuncti Legatarii obventurum defendunt cum Sanchezio *lib. 4. in Decalog. cap. 11. n. 37.* Authores, & quidem ex eo capite, quia defuncto Testatore Legatarius ad suum legatum acquisivit jus aliquod: ergo si post obitum Testatoris primùm est defunctus, tunc hoc suum jus devolutum est in hæredes Legatarii; atqui ex lege justitiæ hæres tenetur persolvere relicta legata, ergo etiam hæredibus extradere.

8 Dices contra hoc ultimum: si talis pecunia ex voto relicta fuisset v. g. Titio, hoc defuncto illa non devolveretur ad hæredes defuncti Titii Legatoris: ergo neque ex legato relicta devolvetur ad Titii hæredes. Resp. conc. antec. neg. conseq. Ratio est;

est, quòd ad debita ex voto nec-
dum à promissario acceptata, hic
nullum jus acquirat: ergo etiam
nullum jus ad suos hæredes pote-
rit transmittere; jus autem ad
factum legatum post obitum Te-
statoris statim acquiratur.

9 Dico 2. Si hoc legatum tan-
quam onus pium atque bonum
suæ animæ fecerat Testator:
pauperem verò illum præ cæte-
ris tantum nominaverat demon-
strativè, & non taxativè, eò quòd
v. g. sibi esset notus tunc defun-
cto Legatario nequaquam lega-
tum caducum evasit, sed in ali-
os pauperes erit distribuendum.
Ità Authores pro prima conclu-
sione adducti cum Molina tom.
1. de justit. disp. 249. Si enim lega-
tum istud tanquam opus pium
Testator fecit, tunc per illud a-
nimæ suæ consulere voluit, at-
que sibi potius, quam cuidam
alteri applicare; sed hoc suppo-
sito ex intentione illius est lega-
tum istud alteri pauperi applica-
bile: ergo &c. Prob. min. ap-
plicatum pauperi, tanquam elee-
mosyna prodest Testatoris ani-
mæ; non itidem si applicetur
hæredi: ergo potius alteri cui-

dam pauperi istud legatum erit
applicabile.

§. III.

Resolvitur III. Quæ-
situm.

*Utrum hæres præter legatum tenea-
tur Legatario solvere suum
debitum?*

ADverto 1. Debitum 100. 10
floreorum fuisse volun-
tarium, aut legale. Legale di-
citur, quod oritur ex necessitate
legis tale debitum inducentis: ità
videmus à lege introductum, ut
Parens dotet suam filiam. Volun-
tarium debitum nominatur,
quòd ex nulla lege, sed ex vo-
luntate aut facto quodam de-
bitoris exortum est. Ulterius de-
bitum voluntarium posse in so-
lo conscientiæ foro dari, in quan-
tum scilicet in foro externo ad
illud condemnari nequeat.

Adverto 2. Subinde legem 11
inducere debitum ad solum ali-
quid dandum; ità lex jubet
dotem persolvere filiæ, legiti-
mam dare liberis.

A a

Ad-

- 12 Adverto 3. Possè legatum atque debitum esse diversæ, vel ejusdem rationis ac speciei: ejusdem erit, quando debitum est pecunia, & legata pariter sunt pecuniæ; sin autem pecuniæ sunt legata, debitum verò sit domus, erunt rationis diversæ.
- 13 Adverto 4. Testatorem potuisse expressisse aliam causam, quàm expugnandi debiti, vel nullam; si dicat lego Titio 100. quia hoc vel illud officium mihi comparavit; expressit causam ab expunctione debiti contracti diversam.
- 14 Adverto 5. Legantem posse hīs verbīs uti, lego Titio 100. ex meis bonis; aut absolutè: lego Titio 100. Hīs præmissis.
- 15 Dico 1. Si Testator causam à solutione debiti diversam sui legati expressit, tunc & legatum & debitum Creditori ab hærede solvendum. Ità Lugo de testam. disp. 24. sect. 10. n. 26. cum aliis. Probat: ex hac ipsa expressa causa desumitur mens Testatoris, quòd non intenderit per hoc legatum exsolvere suum debitum: ergo, cùm executio legatorum ad mentem Testatoris sit facienda, utrumque erit solvendum.
- Dico 2. Si Testator dicat: de 16 bonis meis lego Titio 200. etiam utrumque debitum solvendum Creditori Testatoris esse. Prob. illa sunt bona Testatoris, quæ deductis debitis illius supersunt: ergo si ex bonis suis legavit 100. legavit ex iis, quæ deducto debito 100. supersunt: ergo hoc debitum antea persolvendum, & postea legatum extradi debet.
- Dico 3. Si debitum atque 17 legatum sint diversæ speciei aut rationis, non est præsumendus Testator, voluisse hoc suo legato expungere debitum apud Legatarium contractum. Ità colligitur ex lege ultima. Cod. de compens. ubi Glossa cum communi DD. hoc tradit.
- Dico 4. Si mens Testatoris 18 aliunde non constet, & debitum fuerit voluntarium, hoc est, ex voluntate aut factò Testatoris debitoris contractum, ad istud compensandum non censetur relictum fuisse legatum. Ità Lugo de testam. disp. 24. sect. 10. n. 263. cum communi Sanchez lib. 4. consil. c. 2. dub. 15. n. 3. Silvester,

ster, Armilla, Molina *disp.* 200. §. *hoc jacto fundamento*. Item Bartolus, Immola, Baldus, Covarruvias, Navarrus apud Franciscum Bard. colligitur hæc sententia *ex lege unica*. §. *Sciendum*. *Cod. de rei uxoria. & lege. Creditor. Cod. de legalis. Si compensandi. Cod. de hered. instit. & lege. Creditorem. ff. de legatis*. Probatur etiam ratione: tam debitum quam legatum dependent à voluntate ipsius legantis debitoris: ergo non potest rationabiliter aliud præsumi, quam quòd distinctis obligationibus ad utrumque solvendum se voluerit obligare, quando non constat, quòd legatum voluerit subrogare contracto debito; atqui ponitur hoc ultimum non constare: ergo non debet præsumi aliud, quam quòd distinctis obligationibus voluerit se obligare ad utrumque solvendum.

Confirmat. Quando unus debet alteri centum ex contractu, & dein eidem donat liberaliter centum, horum donatione non censetur velle expungere prius debitum: ergo cum legatum habeat rationem cujusdam liberalis donationis, non præsumendum,

quòd iste voluerit expungere antea contractum debitum.

Dico 5. Si tamen legans Testator Legatario in foro interno aliquid deberet, ita ut in foro externo de hoc debito conveniri, aut condemnari non possit, legatum tale in dubio censeri posset factum esse ad solvendum debitum, atque exonerandam suam conscientiam. Ita Molina, Sanchez n. 5. loci citati cum aliis.

Dico 6. Si debitum est necessarium, seu ex ordinatione legum proveniens, in dubio de mente Testatoris, præsumendus est, Testator voluisse hoc suum debitum legale expungere. Ita Authores citati. Probatur talis obligatio invito debitore est necessaria, atque à Juribus inducta etiam invito debitore: ergo jura voluerunt, ut in tali dubio de mente Testatoris præsumatur iste voluisse huic suo debito satisfacere. His conclusionibus suppositis

Dico 7. Ad tertio loco positum quæsitum heredem Titii præter legatas pecunias non teneri reliquum debitum voluntarium, & in foro conscientiae

duntaxat contractum perfolvere. Constat responsio ex hactenus dictis; jure merito enim præsumitur Titius hoc legato tacitam compensationem voluisse suo Creditori facere.

Dico 8. Idem tenendum, si ex ordinatione legum introductum sit debitum, & nulla legati facti causa sit expressa.



Casus XIX.

De Virgine sub promissione matrimonii deflorata.

Livius studiosus honestam & optimæ famæ virginem, ut usum sui corporis sibi concederet, vera matrimonii promissione induxit; cùm autem, ut promissis stare, à deflorata urgeretur, hujus patrem deflorator convenit, &, ut suam filiam sibi in uxorem daret, expetit, quin aliquam de filia sub promisso matrimonio defloratione mentionem fecerit. Pater, quia non videbat media, quibus duo isti conjuges se possent sustentare, petitioni non consentit. Lætus hac repulsa Livius defloratæ significat, se nequaquam amplius ob dissentum paternum

sua promissione teneri. Occasione hujus casus

Quær. 1. An, & qualis restitutio sit facienda defloratæ virgini?

Quær. 2. An, & qualis restitutio sit facienda pro injuria per adulterium illata?

Quær. 3. An Livius noster à ducenda deflorata fuerit immunis?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur primum
quæsitum.

An